

subinde tigridis, urfi, leonis, vultuque, & manibus, in speciem cruenti certaminis cum bestiis, ferae cujusdam occisæ calido sanguine, aut mori rubentis liquore tinctis, eandem, quam postea græci *Bacchantes*, formam horridam præstulerunt. Brevi accedebant & larvæ, Satyri, Fauni, Currus Bacchicus, ab hominibus tractus, qui se pellibus trigidum induerant. Quod autem primum vetusta ex institutione fletus, ac ululatus esse debuerat ob immutatam, & multum in deterius conversam Terræ Ubertatem: deinceps merum in jubulum stolidæ illius dementiæ, quam intemperans vini usus, crapula, & ebritas inducunt, non sine scelere plurimo transivit.

*PUBL.* Nescio, cui non summe placere debeant hæ pulcherrimæ Reflexiones: quibus ipsarum quoque vocum, in fonte suo inquisitarum, notio suffragatur. Mihi non est alius huc attinens Numus, nisi æreus parvus *Galliæni*: in cujus Adversa graditur Panthera, vel Tigris, cum epigraphe: LIBERO PATRI CONS. *ervatori* AUG. *usli*. *TULL.* Meis in Tabulis locus non erat pluribus iconibus *Bacchi*: quamvis Maximi Viri, *Patinus*, *Spanhemius*, *Liebe*, ac præ omnibus *Montfoconius*, ingentem hujusmodi Numorum copiam suppeditassent. Cura, ut in his ipse versari aliquando possis, & ad usque forsitan detestationem intueberis, quantum signati argenti, ærisque, quantumque artis, & ingenii, has in *Bacchicas* nugas Græci, & Romani, prodegerint, cum summo delirantis rationis opprobrio, & ipsius Conditoris contentu.

IX.

## DIALOGUS XXV.

De Vulcano, itemque Cabiro filio ejus.

*PUBLIUS.*

**N**umus Tabulæ tuæ V. tæ. duodecimus fabrum red-  
hibet sedentem, qui ferrum ad incidem tundit, cum epi-  
graphie græca: ΚΙΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ: i. e. *Cyziceno-*

T 2

I.  
TAB. V.  
N. IX.  
*rum*

rum *Neocororum*. TULL. Hic Numus in Adversa refert *Gordianum Pium* apud Patinum p. 298. PUBL. Videtur Aversa *Vulcanum* referre: quem capite laureato, & vittato expressum jam vidi in Denario *Lucii Cotta*, a te picto Exercitat. Proœm. Tab. III. n. 7. Fabulas ejus magna parte ibidem ex te hausi Dial. XII. n. 1. sqq. TULL. Noveris itaque, *Vulcanum* esse Regem Ignis, fodinarum subterranearum, & omnis generis Fabrorum, in metallis operantium, Principem. Nec enim fulmina duntaxat cudebat Jovi, ensesque, ac galeas, thoraces, & umbones ferreos, militibus, ac Ducibus castrorum: sed hæc omnia, uti prædicarunt Poëtæ, aureis, argenteis, æreisque anaglyphis artificiosissimis exornavit, & insuper firmitate, ac robore quodam divino solidavit. Ne scilicet cuiquam hic Jovis, ac Junonis filius, contemptibilis esset, licet ob deformitatem a Matre abjectus.

II.  
Libr. I.  
Cap. II.  
§. 21.

TULL. Dominus *Pluche* hunc pariter Deum in *Horo* Aegyptiaco nullo negotio reperit. Dum etenim in hac gente vetustissima postdiluviana tres principes essent hominum ordines, Sacerdotum, Colonorum, & Opificum: unicuique horum corporum, statis temporibus, munia sua per imaginem *Hori*, aliter aliterque convestiti, prænnunciari debuerant. Quando igitur opificibus indicandum fuit, ut has illasve mercium suarum captando ex negotiatione Phœnicia lucro paratas haberent, *Horo* in imagine proposito malleus, ac forceps fabrilis, dabantur in manus. Nomina ejus tunc erant, *Molcan*, ex *Wall*, h. e. operari, & *canan*, i. e. expedire, ut proinde *Molcan* idem esset, ac *Opus expeditum*. Pro quo nomine Hebreo apud exteros, euphoniae causa, facile *Volcan*, deinde *Vulcan* successerunt. Deinde *Mulciber*, a *malac*, sive regere, & *ber*, h. e. antrum, quasi *Reëtor fodinarum*, *director fabrorum*. Demum & *Ephaisto*, ab *aph*, aut *eph*, i. e. Pater, & *Usto*, h. e. ignis, proinde idem, ac *Pater ignis*.

III.

Dum vero subinde, bello quopiam interveniente, mercatus impediretur, *Horus*, in forcipis, ac mallei locum, comparuit clava obarmatus, ut ad pugnam evocaret. appellatus tunc *Lehemam* a *Labem*, i. e. bellum aut pugna, & *Manaim*, h. e. Castra. Ex quo postremo nomine *Vulcanus*, licentia Poëtarum, fiebat *Lemnius* Deus, dum fingerent, eum a Matre Junone cœlo ejectum post.

postquam triduum totum labendo insumsisset, tandem in Insula Lemnos terram, sed fracto femore, contigisse. Ibi porro a Lemniis educatum, dum claudus adultus fuisset, fabrili deinceps industria in Aethna monte Divinitatis radios, quos eidem formæ claritas negaverat, sibi collegisse. Nec defuerunt, qui commenti sint, eum non ab hominibus, sed a Simiis esse nutritum, ne vel tarpis ejusdem formæ ratio deesset.

PUBL. Audivisse me memini, quosdam Vulcanum in Tubalcano, fabrilium artium peritissimo, quævisse. TULL. Ex mente Domini Pluche, quemadmodum cæteri Dii, sic & iste, non ex personis, quæ olim claruerint, sed meris Popularibus & Signis primorum Aegyptiorum, quorum notio vera interciderat, originem suam primam acceperunt. Poëtarum itaque cerebro debuit Vulcanus, quod chorum Deorum claudus, ac deformis adauxerit. Numos certe complures occupavit hoc pacto, aut saltem visus est occupare. Horum ego unum saltem, alterumque coram te percensebo.

Exstat apud Ill. Spanhemium æreus Numus maximus, qui dicitur in Adversa redhibere Maximinum Thracem Imperatorem. In Averfa ad incudem elatam sedet Vulcanus, fabricandæ galeæ malleo insudans: cui Pallas, armata coram eodem adstans, galeam sustinendo, famulam quasi operam præstat. Epigraphe græca est: ΕΠΙ ΓΡΑΜΜΑ ΜΑΡΤΙΑΝΟΥ: h. e. sub Scriba Martiano. Infra sequitur: ΜΑΓΝΗΤΩΝ, sive Magnetum, scilicet Magnesiæ Urbis nobilissimæ ad Meandrum in Aeolide. Pro quo Pallas hic galeam postulaverit, ignoro: nam pro Achille Græco Thetin, pro Aenea Trojano Venerem parem Vulcani operam flagitasse, Homerus, atque Virgilius comminiscabantur.

Cl. Patinus pinxit in Gente Claudia æreum Numum, in Adversa cum capite laureato virili, & imberbi, retro opposito forfice, & addita epigraphe: VOLCANO. In Averfa comparet Victoria cum bigis, & subscribitur: AESERNINO. Dicitur porro, hunc Numum attinere ad Marcum Marcellum, Gentis Claudiæ celeberrimum Virum, cui Aesernini agnomen inditum fuerit, postquam ad Aesernium captus est. Verumtamen Cl. Hurd-

uinus ab hac sententia Patiniana penitus recedens, Vulcanum hic neu-

IV.

V.  
Tom. I.  
p. 707.VI.  
Suppl.  
p. 311.In Plin. I.  
p. 169.

neutiquam agnoscit, aut, si permittat, hic esse imaginem illius ex nomine tamen eum descriptum undique negat.

VII. Ait namque, in aliis duobus Numis, a se visis, non legi VOLCANO, sed VOLCANOM: proinde verosimillime Caput hic Dei non esse, sed Genium Narbonis, & forcipem designare artifices aurarios. Vocem quippe discerptam sic legit. *Valeriano O. ptimo L. ibertatis C. onservatori A. urarium N. arbonenses O. btulere M. unus.* In Aversa deinde, ait, se aliis in Numis legisse AISERNINO, non AESERNINO. Hanc itaque vocem, rursus divisis literis, ita in sententiam transformat: *A. rcum L. nsignem S. tatuendum E. R. egione N. arbonis I. mperatori N. egotiatores O. btulerunt.* Admodum sane remotæ sunt ab his lectionibus imagines hujus Numi, & vix quemquam alium, nisi singulariter sentire latentem, in hanc opinionem divertere potuisse videntur.

VIII. Sed Vir Clarissimus, ut spectare hunc Numum ad *Valerianum* evinceret, alium parvulum adducit, pinxitque, priori adjunctum Tab II. lin. ultima: in cujus Aversa est Caput *Valeriani* cum titulis. Aversa Aediculam exhibet, quatuor columnis trabeatam, intra quam faber cum malleo adstat, & ad pedes ara. Epigraphe: DEO VOLKANO. Quis hic ambigeret, Aedem, vel Templum, atque imaginem hujus Dei comparere? Ast nihil horum; *Harduinus* insit: VOLKANO scriptum non est ex usu latino. Quocirca denuo lacerat voces, & latens anigma hac per ingenium suum substituta sententia evolvi: *D. uci E. xercitus O. rionis V. aleriano O. ptimo L. ararium K. orporati A. urifices N. arbonenses O. btulerunt.* Aediculam igitur argenteam expressam hic vult, eamque Lararium appellat, in quo Dii reponi possent: per Korporatos Artifices intelligit Corpus, aut Societatem fabrorum. Arbitror autem, vocem *Korporati* non minus, ac vocem *Volkano*, tam in Orthographiam, quam in Puritatem latinam peccare.

IX. Inter *Vulcani* filios recensetur etiam *Cabirus*, qui pariter quibusdam in Numis descriptus putabatur. Etenim apud *Cl. Patinum* est Numus aureus *Juliae Severi*: in cujus Aversa stat Vir toga curta, malleum librans, & incudem gestans, ut videtur, sub Aede acuminata deorum colunarum. Circumlegitur: ΘΕΚΚΑΑΟ-ΝΙΚΕΩΝ: i. e. *Thessalonicensium*. Ubi se *Cabirum* recte vidisse, arguit

guit Vir Cl. ex alio Numo argenteo, extra ordinem a se picto, cum capite foemineo velato, ac turrato in Adversa, rursumque adscripto nomine Urbis, cujus hoc Caput Genium refert, scilicet: ΘΕΚΚΑΔΟΝΕΙΚΗ : i. e. *Theffalonica*. In Aversa poro cum pari, ut supra, stante figura, sed absque Æde, subscripto nomine : ΚΑΒΕΙΡΟΣ : h. e. *Cabirus*.

Tertium insuper Numulum æris minimi pinxit Cl. *Harduinus* X. qui planissimus omnium videri poterat. Refert namque in Adversa Caput *Claudii Gothici*, ejusque titulos : in Aversa figuram stantem, ac malleum tenentem, cum diserta epigraphe : DEO CABIRO. Nihilominus tamen Vir sagacissimus, ut in anterioribus Numis *Vulcanum Patrem*, ita & hic *Cabirum* filium statione deturbat. Legi enim denuo capit : D. uci E. exercitus O. ptimo C. laudio A. rcum B. enesactis I. nsignem R. uscinenses O. biulerunt. Nempe ob Victoriam, præsertim Gothicam. Subjicit postea: Ingeniose admodum significatur, oblatum fuisse ab Oppidanis Arcum Triumphalem, sed a *Claudio* neglectum, ac repudiatum, cum in area Numi non Arcus pingatur, sed Faber tantummodo ad eum existruendum paratus.

**PUBL.** Colorem, non causam tam involuti anigmatis, reddi hoc pacto existimo, cum factum historicum non elegantia ingenii, sed liquido Scriptorum testimonio asseri, & ad fidem fulciri necesse sit. **TULL.** Forte Cl. *Harduinus* obscuritas fabulæ de *Cabiris* peregrinum in sensum abduxit, ut nihil sub hoc nomine certi posse intelligi arbitraretur. Scholiastes quippe *Apollonii* sic de iis: „ Quatuor sunt: *Axiorus*, *Axiocersa*, *Axiocersus*. *Axiocersa* quidem est *Ceres*: *Axiocersa* *Persephone*: *Axiocersus* *Dis* pater. „ Additus quartus *Casimilus*, id est, *Administer*, qui est *Mercurius*. „ Græca quidem Inscriptio latine sic habet. „ *Cajus* „ *Caji Acharnensis* Sacerdos factus *Deorum Magnorum Dioscurorum Cabirorum*. „ Elogium *Dioscurorum* quosdam induxit, ut *Castorem*, & *Pollucem* sub *Cabiris* intelligerent. Alii ex præconio *Magnorum Deorum* quoslibet summos *Deos Cabirorum* nomine acceptos autumabant. Nec deerant, quibus visum, *Lares* fuisse *Cabiros*. Hæc & plura vanissima commenta refert, atque refellit *Joan. Anton. Astorius Venetus* in peculiari Dissertatione sua de

X.  
In Plin.  
Tab. II.  
ad Tom.  
I. p. 147.

XI.

Apud.  
Sam. Pitisc.  
in  
Lex. Voce  
*Cabiri*.

Tom. II.

Ca-

Supple-  
ment. ad  
Græv. &  
Gronov.  
a pagin.  
373.

*Cabiris*, negans eos fuisse filios *Vulcani e Cabera*: sed verosimillime credit existisse *Telchines*, i. e. Sculptores, & Statuarios Rhodios. Id quod hoc loco prolixius non exequor.

## DIALOGUS XXVI.

De multiplici Veterum Genio in Numis.

PUBLIUS.

SÆpe hæcenus in expositione diversorum Numerum ajebas mihi, hoc illudve Caput Genium Urbis referre: gaudeo proinde, nunc de *Genio* peculiarem sermonem enasci.

TULL. Nomen *Geni* late sumtum, quemlibet Custodem, ac Tutelarem, singularum Familiarum, Domuum, Urbium, Populorum, Collegiorum, & Communitatum designabat, sæpe cum *Laribus*, & *Penatibus* permixtum. Proprie vero denotabat cuiuslibet hominis peculiarem quemdam spiritum, eidem ab ortu suo adjunctum, immo, quod somniabant nonnulli, Animi cuiuslibet proprii genitorem. Sic *Aufidius* apud *Festum* ajebat: „

„ *Genius* est Deorum Filius, & Parens hominum, ex quo homines „ gignuntur: & propterea *Genius* meus nominatur, *qui me genuit*..

De Civitat. Dei L. VII. 13.

Item S. *Augustinus*: „ Quid est *Genius*? Deus est, qui præpositus „ est, ac vim habet rerum gignendarum. „ Qua quidem ratione *Genius* non solos homines, verum etiam res omnes gignere creditus fuisset.

II.

Plures autem Philosophorum Græcorum, ut *Euclides*, *Empedocles*, ac alii, geminos cuiuslibet hominum *Genios* dederunt, *Bonum* unum, alterumque *Malum*: quos ipsi utrosque appellabant *Dæmones*, Græcis istis consensere pariter Latini multi, h. e. Romani.

Quo-